DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID MARTIN,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS.

Ut vitrum ex officina prodit fragile, sic homines debiles, caduci, morbis opportuni, nascuntur.

GREGOR. CONSPECT.

Octavo die ante Calen. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT DAVID WILLISON.

1806.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

NOBILISSIMO ATQUE ORNATISSIMO

VIRO AC DOMINO,

FRANCISCO,

MOIRÆ COMITI,

BARONI DE RAWDON,

MACHINARUM

ARCISQUE LONDINENSIS

PRÆFECTO,

&c. &c.

MILITI FORTI, BONO DUCI, SENATORI ILLUSTRI,

SCIENTIA, URBANITATE, FIDEQUE INTEGRA,

CONSPICUO;

REGI, CIVIBUS, AMICISQUE,

NON SOLUM CARISSIMO,

SED ETIAM VIRTUTIBUS,

OMNIBUSQUE ANIMI DOTIBUS

QUÆ HOMINEM ADORNANT,

INSIGNI;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

PEREXIGUUM

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

TESTIMONIUM,

SUMMISSE, EJUSQUE VENIA,

DEDICAT

AUCTOR.

Homines ad Deos in nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando.

CICERO.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

PROŒMIUM.

OMNIUM morborum, quibus genus humanum obnoxium est, pauci videntur medicorum attentione digniores esse, quàm Typhus; quia non solùm frequentissimus morbus est, per orbem fere terrarum totum, sed etiam omni ferme pariter ætati, sexui, ordinique infestus. Cœli autem varietas, regionum atque locorum differentia, diversi denique gentium mores et

victus, efficiunt, ut hic morbus similitudinem eandem haudquaquam semper induat.

In hac dissertatione, mihi in animo est perpauca dicere de ejus signis, causis, et postremo de medendi ratione; et quamvis nihil novi de re tanta proferre spero, cognita tamen et quæcunque utilia et memoratu digniora videntur, quàm potero luculentissime dicam.

DEFINITIO.

TYPHUS, a CULLENO illustrissimo, definitur, "Morbus contagiosus; calor parum auctus; "pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; "urina parum mutata; sensorii functiones "plurimum turbatæ; vires multum imminu-"tæ *."

---

* CULLEN. Synops. Nosolog. Method.

"The typhus," ait idem auctor, "seems to "be a genus comprehending several species. "These, however, are not well ascertained by "observation; and in the mean time we can "perceive, that many of the different cases ob-"served, do not imply any specific difference, "but seem to be merely varieties arising from "a different degree of power in the cause, "from different circumstances of the climate "or season in which they happen, or from dif-"ferent circumstances in the constitution of the "persons affected *."

MORBI HISTORIA.

Sub morbi initio, ægrotans, alternis vicibus, horrescit frigore, et calescit; eodem fere tempore languescit, moveri piget, simulque, quasi defatigatus lassitudine, debilitatis sensu, oscita-

---

* Cullen's First Lines.

tione et pandiculatione, afficitur. Hoc subsequuntur, capitis, dorsi, lumborumque dolores molesti, musculorum debilitas, et aliquando brachiorum torpor. Animus tristis semper et demissus est; ventriculus non solùm languet, sed etiam omnes cibos firmiores, præcipue carnes, et cibos ex iis confectos, fastidit, sæpe nauseat; aliàs humorem pituitosum supra reddit.

Arteriarum pulsus solito crebriores sunt; lingua interim albida est, tamen sitis parum urget, necdum calor multum auctus est.

Signis talibus, æger, quanquam per aliquot dies non lecto affigitur, nequaquam ad suas res gerendas valet; verò, morbo indies ingravescente, vis omnium signorum augetur.

Advesperascente die, vertigine caput, ardore corpus, magis magisque vexatur; pulsus imbecillis, sed celerior evadit; spiritus ægrius, et cum anxietate, trahitur; occiput subinde, vel obtusius dolet, vel torpet, vel friget, dum secundum suturam coronariam dolor gravis ad frontem pervenit; frons quoque, quamvis su-

dore frigido perfusa, ægro ipsi inardescere videtur; oculi, lucem quanquam obscuram refugiunt; sonos ne levissimos tolerare queunt aures. Facies modo pallet, modo rubet; interdum genæ calescunt subito, et rubore suffunduntur; dum nasi orbiculus, et aurium lobi frigescunt, simulque frons sudore frigido manat. Imo, minime insolitum est, faciem calescere et rubore perfundi, quando eâdem tempestate extremæ partes membrorum inalgescunt.

Rebus sic sese habentibus, urina pallida est, sæpe limpida, et nullum sedimentum deponit. Somnus optatus febricitantem refugit; vel, siquando gratus somnus obrepat, brevi plerumque tumultuosis somniis excitatur. Turbati somni, quibus raptim fruitur, neque vires ægri reficiunt, neque mala morbi mitigant. Quamvis labia arida sint, tamen rarò sitit, verò aliquando linguæ calorem conqueritur, quæ crustâ subnigrâ obducitur, et plurimum hiulca.

Circiter septimum vel octavum diem a principio morbi, ægri vertigo et capitis dolor multum ingravescunt; aures perpetuo intra sese

sonant, et earum sonitus ægro non solùm molestissimus est, sed etiam haud rarò delirium affert. Respiratio magis magisque laboriosa evadit; simulque æger trahit frequenter ex pectore suspiria, necnon præcordiorum gravitate premitur. Nunc de magnâ debilitate ægrotus conqueritur, adeo etiam vires debilitantur, ut corpore erecto sedere nequeat, quin animo deficiat. Si jam urina pallidior et magis limpida fiat, delirium, cum tremoribus universis, et tendinum subsultibus, prænunciandum sit, quod quidem rarò violentum est, sed animi perturbationem levem potiùs refert; et ægrotus, vel sibimetipsi inaudita mussitat; aut, titubante linguâ, adstantes alloquitur.

Nonnunquam æger festinanter et perturbatus a somno expergiscitur, mox compos mentis fit, sed citò in statum somniculosum denuo relabitur. Eodem fere tempore, lingua admodum sicca et scissa evadit, media ex parte subfusca est, ex marginibus colore magis naturalis, et, si ex ore eam protrudere conetur æger, plurimum tremescit. Siquando hoc circiter tempus lingua humida fiat, et os fuse salivet, profecto op-

timi semper ominis est; verò, cùm deglutiendi difficultas accidat, aut, dum devorat æger, spiritus, tanquam propter angustias per quas evadit, sibilum elidat, aut, tanquam spiritu intercluso, æger in eo sit ut suffocetur, indicium periculi est. Os interea semiapertum est, anima aliquantum fætet, labia et dentes nigrescunt.

Frequenter, nono, aut decimo, aut duodecimo die ab initio morbi, sudores profusi excernuntur, super extremas partes membrorum, frigidi et glutinosi, qui non solùm ægri vires multum exhauriunt, sed odore nares offendunt; et fæces valde solutæ sæpius dejiciuntur, intolerandum fere odoris fœditatem habent, et colore subvirides, lividæ aut nigræ, et, haud rarò, cruentæ. Inter desidendum, ægrotus violentis cruciatur torminibus, necnon abdomen aliquando tumet et intenditur.

Humor cutis, quandocunque calidus, plerumque salutaris est; atque diarrhœa lenis, delirium, et statum somniculosum, haud rarò depellit.

Primâ incursione morbi, calor modicus est,

illo verùm increscente, hic intenditur, atque manus summæ cuti admota permolestum calorem sentit, quem calorem mordacem nominant medici.

Nunc extremitates frigescunt, ungues livescunt, pulsus tremere et vacillare, potiùs quàm micare videtur, tamque debilis et celer fit, ut vix percipi, nedum numerari possit. Interim aures, quæ initio morbi plerumque levissimi sonitûs impatientes sunt, jam adeo hebetes fiunt, ut clarissimum sonum vix percipere possint.

Malis quæ memoravimus, haud rarò accedunt petechiæ; hæ sunt maculæ, quæ interdum rubræ sunt, aliquando subrubræ, aliàs lividæ, sed nunquam supra cutem oriuntur. Confertissimæ sunt in pectore et dorso; in cruribus brachiisque rariores; in facie rarò observabiles. Nonnunquam tertio, quarto aut quinto die, sese ostendunt; aliàs, non ante decimum quartum. Quo magis purpurascunt, eo magis indicant periculo ægrum versari.

Incerto morbi die, sudoribus profusis orien-

tibus, interdum papulæ rubræ aut albæ exiguæ, crebræ, milii seminis magnitudine per totam cutem præter faciem, erumpunt.

Sub finem morbi, debilitas, ob violentiam omnium signorum auctam quæ memoravimus, plus plusque urget; oculi immobiles et concavi fiunt, nasus acutus, oris notæ minuuntur, facies pallida, lugubrem ac cadaverosum aspectum ostendit. Febricitans manibus in veste flocculos legit, fimbriasve diducit; vox intercidit, aut adeo debilis est, ut adstantes exaudire vix possint.

Adventante morte, vires quæ supersunt emoriuntur, animus marcet et labat, oculi hebescunt, et, nullâ causâ evidente, illachrymant; in orbitas recedunt, neque clarissimam lucem percipere possunt; artus intremiscunt, et, ob defectum virium, tendines, voluntate non imperante, subinde subsiliunt; extremitates continuo frigent.

Partes simul corporis, quibus sæpius incumbit æger, gangræna haud raro afficiuntur; et

aliquando usque exulcerantur, ut ossa, præcipue ilia, nudentur. Capilli defluunt; diaphragma singultat.

Sanguis haud rarò e naribus, gingivis, intestinis, aliisque corporis partibus, profunditur. Totum corpus, sicuti jam mortuum, putrescit, magnam odoris fœditatem emittit. Urina et fæces, nescio ægro, dejiciuntur. Arteriarum ictus adeo imbecilles atque celeres fiunt, ut vix distingui possint. Aphthæ circa os et linguam, et in faucibus, nigri coloris cum deglutitione impeditâ; necnon vibices in diversis corporis partibus sese exhibent. HUXAMUS mentionem facit, tremores et vellicationes nervorum tendinumque, quibus febre moribundi afficiuntur, prænunciare, prope esse, omne corpus vehementer convulsum iri, quod brevi ultimas scintillas vitæ extinguit.

Nonnunquam, verò rarissime, sub finem morbi, in summa cute oriuntur bubones, anthraces, carbunculique, iis similes quibus pestis corpus turpat.

Quoad hujus morbi diuturnitatem, nihil certe judicari quit. Interdum circiter quintum aut septimum diem, convalescere incipit æger; morbus autem sæpe protrahitur ad decimum quartum, imo ad vigesimum. Quando morbus optatò desinit, revalescens, aliquandiu, de vertigine, tinnitu aurium, gravitate auditûs, somnoque interrupto, conqueritur; necnon, languidus valde et debilis est, haud rarò mente imbecillus atque fatuus. Autem prout vires restituuntur, omnia hæc mala paulatim evanescunt.

CAUSÆ.

Duo causarum genera memorantur: ad primum attinent eæ, quæ corpus morbo opportunum faciunt; secundum eas comprehendit, quæ in corpore ita obnoxio eum excitant.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnia quæ corpus humanum ita infirmant et debilitant, ut hoc plus causa excitante opportunum affici evadat, inter causas prædisponentes medici annumerant. Præcipua horum, et quomodo corpus afficiant, jam ordine ac quam brevissime dicemus.

Frigus intensum,—vel nimis diuturnum, tam animalibus quàm terrâ natis admodum nocivum est, præcipue si humori conjunctum sit: hominum corporibus insigniter nocet, animum demittit, per totum corpus sensum molestum producit, et, pro vi et diuturnitate, plus minusve debilitat. Enim satis superque notum est, posse, modo abunde vehemens sit, non solùm partium sed quoque totius corporis vitam extinguere; hinc multos morbos excitat, et proclivitatem ad typhum inducit.

Calor modicus—necessarius est, non solùm ad ortum, verò quoque ad vigorem et auctum, cum animalium tum plantarum. Autem calor

immodicus, aut nimis diuturnus, et animalia et terrâ nata laxat, infirmat, atque languefacit: hinc homines huic morbo obnoxios reddit; et in regionibus calidis, haud rarò febres hujus typi admodum malignæ sæviunt.

Deprimentia animi pathemata,—veluti metus, mœror, mœstitia, livor, aliaque, quæ singulatim hic enumerare supervacaneum esset, mirum sæpe in modum corpus debilitant. Hôc enim satis constat, tantum corpori consensum esse cum animo, ut hic graviter affici non possit, quin brevi corpus ejusdem perturbationis particeps fiat.

Inter autem animi affectus, metus fortasse corpus contagio recipiendo opportunum præcipue reddit; hic enim actionem cordis et arteriarum imminuendo, sanguinem ab extremitatibus membrorum avertit, cutem pallidam atque frigidam facit, et omnes corporis functiones debilitat: hinc, ubi morbi contagiosi sæviunt, illi haud rarò immunes a contagio manent, qui animo alacri et confidente præditi sunt, dum, contrà, timidi mœstique contagio sæpe corripiuntur.

Vita ignava et sedentaria.—Quantum ad prosperam valetudinem conferat modica exercitatio, nemo sanus ignorat. Inertiâ enim sanguis languescit, musculi flaccidi evadunt, secretiones minuuntur, ventriculus infirmatur, et cibi concoctio haud rite perficitur. Sic enim homines naturâ finguntur et fabricantur, ut inertia et pigritia eorum animos enervent, et pariter corpora laxent et debilitent; et sic, ut videtur, ad hunc morbum magis proclives fiunt.

Abstinentia.—Si alimentum aut nimis parcum sit, aut eâ naturâ ut non satis nutriat, corpus necessario infirmatur; et bene notum est, hanc febrem sævius grassari, quando inedia rerum inopiaque adsunt.

Intemperantia.—Ad incolumitatem et animi et corporis, multum conducere temperantiam, omnes medici, unâ voce, consentiunt. Perpauci tamen, hoc ævo, temperantiam colunt. Quantitas cibi et potûs, quam nonnulli gulæ dediti uno tempore ingerunt, fere incredibilis est. Hæc causa, quanquam non statim morbum inducat, tamen, si diu perstiterit, constitutionem

corporis, etiam validissimam, paulatim corrumpet, et variis morbis proclivem reddet.

Vigilia.—Quamvis cibus potusque, itemque alia stimulantia, eâ copiâ assumuntur quæ vitam sustentet, tamen neque vita neque valetudo secunda diu conservari potest, nisi institutis a natura temporibus, vigiliæ, recreans somnus succedat. Insomniâ animus morosus et irritabilis fit, facies pallida, oculi hebetes et languidi, vires exhauriuntur, partes solidæ relaxantur, corpus macrum evadit, et morbis debilitate orientibus opportunum, et sic proclivitatem ad typhum dat.

Militia Veneris,—si immodica sit, mirum in modum cum corpus debilitat, tùm animum hebetat; non solùm enim nervos et cerebrum nimis incitat, et sic et corporis et animi languorem inducit, verò etiam nimio seminis dispendio, quod in congressu nimis frequente accidit, partes valde infirmat, supraque modum deplet, quarum vigor et plenitudo ad incolumitatem universi corporis et animi prorsus necessaria sunt. Dicitur etiam, illos qui nuper connubio

juncti sunt, esse, præ cæteris, morbis grassantibus obnoxios.

Exinanitiones nimiæ.—Modica vasorum plenitudo, ad valetudinem secundam conservandam, omnino necessaria est. Enim quandocunque humores præter naturam imminuuntur, vasa sese contrahunt, et debilitas, pro humorum inopia, supervenit. Hinc accidit, ut magna profluvia vel sanguinis vel alvi, et etiam sudor nimis profusus, vires valde dissipent, atque corpus laxent et infirment.

Morbi prægressi,—Clare constabit, eos qui nuper aliis morbis multum debilitati sunt, necdum satis convalescunt, futuros esse, præ validis, morbis sævientibus opportunos.

Observabile est, homines, inter tempus pubertatis et trigesimum quintum aut quadragesimum ætatis annum, aptiores esse huic morbo, quàm aut minores natu aut majores; et infantes, nondum sexennes, rarissime typho corripi.

CAUSÆ EXCITANTES.

Præcipua, et, ut multi putant, unica hujus morbi causa, est contagium humanum; nonnulli autem haud parvi nominis autumant, typhum interdum originem trahere affectibus animi contristantibus, frigore cum humore, et similibus. Quoniam tam parvum de contagionis naturâ adhuc notum est, quidquam de eâ hic dicere supervacaneum videtur.

DIAGNOSIS.

Quamvis, primo impetu, typhus aliis febribus non dubie similis sit, tamen, haud multo post, notas sibi proprias exhibet, quibus ab omnibus aliis satis dignoscatur. Morbus solus, a quo medicorum admodum interest typhum incipientem distinguere, synocha est, quæ, pro aliquot diebus primò, typho ita similis est, ut

nonnunquam, etiam doctissimi atque peritissimi medicorum, nesciant, utra febrium urgeat, accurate discernere.

Qui hâc febre corripiuntur, eorum vires magis rumpuntur, magisque animus marcet, quàm eorum qui synochâ : delirium etiam citius incipit, atque mitius est, facies pallidior est, vultus lugubrior, arteriarum içtus celeriores, imbecilliores, et frequentiores, temperatior summæ cutis calor, sitis minus importuna, urina copiosior, sed minus colorata. Autem synocha celerius, atque notis minus dubiis, quàm typhus, aggreditur : ille morbus, constitutione corporis validos atque robustos, præ cæteris, adoritur ; hic, contrà, laxos sæpissime et debiles. Typho laborantibus, sanguinis missio, aliæque profusæ exinanitiones, in universum, plurimum nocent ; dum iis, qui synocha implicantur, valde opitulantur.

Delirium, porro, quod typhum comitatur, ad tempus tollit, aliaque mala levat, vinum aut opium, aut alia quæ cor et arterias excitant ; contrà, omnis incitatio synochæ signa multum

intendit. Denique, synocha petechias nunquam ostendit; typhus haud rarò.

PROGNOSIS.

Indicia, quæ spe consolantur, sunt, lingua humida et nitida, sitis moderatior, saliva copiosior absque aphthis, cibi cupiditate simul redeunte, sudores tepidi et lenes per universum corpus æquales, neque per remedia stimulantia excitati; modicum alvi profluvium, imprimis, si quæ descendunt, felle suffusa sunt; imminutus summæ cutis calor; arteriarum pulsus validiores at tardiores; capitis dolor vino aliisque stimulantibus levatus; pustulæ scabiosæ circa os, nares, auresve, ortæ; vires fere integræ aut duntaxat paululum fractæ; delirium, quod nec mature nascitur, nec natum semper urget; stupor levior; abscessus in glandulis parotidibus, axillaribus, aut inguinalibus; papulæ miliariæ albidæ, quas neque antecesserunt, neque comitantur sudores profusi; papulæ rubræ, prurigi-

nosæ, atque vesiculæ aquâ plenæ, in pectore et dorso: morbus, ultra decimum quartum vel decimum quintum diem protractus, audiendi gravitas, imprimis si auris abscessus supervenerit; in provectiore morbo, lotium turbidum, copiosum, et sedimentum deponens.

Contrà, symptomata infausta sunt, vultus pallidus, cujusque notæ contrahuntur; lingua sordida et arida; sitis insatiabilis; oris spuma; aphthæ livescentes vel nigricantes, cum tetris faucium ulceribus; deglutiendi difficultas; respiratio difficilis, sine ullo pulmonum malo; anima fœtida, vomitus materiæ nigræ atque fœtidæ: magna ventriculi debilitas, cum anorexiâ et nauseâ; dejectiones perliquidæ, frequentes, cruentæ et fœtidæ; arteriarum pulsus imbecilles, frequentissimi, exiguissimi, et compressu faciles; magna virium prostratio: singultus, delirium ferox atque continuum, præcipue si mature accedat; oculorum hebetudo, qui aspectum vitreum ostendunt, et qui caligant; deliquium animi, quoties æger erigitur; dolores in capite orti, aut in thoracis visceribus, aut abdominis; sudores frigidi, lenti, in nonnullis solùm

partibus orti ; cutis fervida et arida : quando æger in veste floccos legit, fimbriasve diducit ; ubi urinam subatram reddit. Illa etiam mortis signa sunt : sudores valde profusi et fœtidi ; sanguis sub cute effusus, petechiasque, aut maculas, aut vibices, repræsentans ; abdominis tumor et tensio ; aut, si extremæ partes membrorum inalgescunt, si ægrotus suæ mentis non compos est, et supinus perpetuo cubat, si genua contrahit, et deorsum ad pedes subinde delabitur ; sanguinis quoque profusiones ex variis corporis partibus, oculi rubri et feroces, cadaverosus totius corporis fœtor, et meiendi impotentia,---mortem subesse testantur. Vix, et plerumque ne vix quidem is servari potest, cujus oculi illachrymant, cujus lotium atque fæces sine voluntate dejiciuntur, qui, alto sopore obrutus, assidue dormit. In præcipiti autem jam esse, denunciant, nervorum singultus, manuum, exertæque linguæ tremores, atque musculorum convulsiones.

MEDENDI RATIO.

In hoc morbo curando, consilia tria sese offerunt. Primò, ejus progressum quamprimum coërcere, catenationem morbosam præveniendo. Secundò, ejus violentiam temperare, signa leniendo. Tertiò, debilitati atque putredini occurrere, ægri vires sustinendo.

Ad primum consilium, duo remedia cum maxime laudantur, nempe, Emetica, et Affusio Frigida.

Vomitoria—haud immerito laudata sunt, et sæpissime adhibita; enim bene notum est, si mature adhibeantur, morbum invadentem haud rarò fugare, totum corpus vehementer agitando, et maxime nervos. Etiam vomitio, sanguinem per totum corpus æqualiter distribuendo, spasmum solvit; quo vasa exhalantia, in summa cute dispersa, afficiuntur, et sic hujus exha-

lationem redintegrat, itemque naturalem totius corporis calorem reddit.

Siquando, ad morbum ineuntem discutiendum, vomitus non valet, tamen prodest, ventriculum et summam intestini partem sordibus exonerando. Quamvis, contra typhum incipientem, emetica multum sane pollent, tamen post morbum confirmatum, sunt ancipita remedia. Nunquam debent, post quartum aut quintum diem, adhiberi; quia tunc febrem interrumpere non possunt; porro, periculum est, ne a debilitate, quam producunt, æger detrimentum haud parvum accipiat. Inter medicamenta vomitoria, duo maxime celebrantur, nimirum, Ipecacuanha ac Tartris Antimonii. Compertum est a medicis non paucis præclaris, tartritem antimonii, ad febrem discutiendam, medicamentum efficacissimum esse: optime assumitur aquâ solutus; et, exiguis dosibus subinde iteratis, donec vomitionem moverit. Si antimonium tuto adhiberi nequeat, ipecacuanha, in pulverem redacta, administretur, et plerumque ad spem respondebit, si modo rite adhibeatur; ea præcipue adhibere-

tur, quando ægrotus debilis est, aut admodum languidus.

Lavatio, vel *Affusio Frigida*,—remedium validissimum et efficacissimum est, ad typhum incursantem discutiendum, si mox post aggressionem adhibeatur; quo citius ad affusionem frigidam confugitur, eo melius. Primo aut secundo febris die adhibita, morbum sæpe prorsus solvit. Idem aliquando etiam in tertio aut quarto die evenit; autem cùm morbus per quatuor quinqueve dies perstiterit priusquam admoveatur, rarò finem malo tam citò imponit. Eo tempore affusa, omnia signa tamen brevi mitescunt, et paucis haud rarò diebus omnino tollitur morbus. Post eam enim arteriarum pulsus tardiores at validiores evadunt, respiratio magis libera fit, anxietas statim evanescit, calor decrescit, dolor capitis et sitis evanescunt, lingua fit nitida, et, leni sudore prorumpente, ægrotus in somnum placidum brevi incidit.

Quo æger ab aquâ frigidâ aut tepidâ maximum auxilium accipiat, oportet astantes eum in hanc immergere, vel ei eandem affundere;

aut, si alterutrum facere incommodum sit, spongiis aut mantelibus aquâ frigidâ, vel aquâ aceto mistâ madefactis, totum corpus lavare. Leges quibus affusio frigida cum commodo usurpari potest, CURRIUS, multâ experientiâ edoctus, accuratissime statuit, ullo morbi tempore ad eam currere liceat, "quando nullus frigoris "sensus adest, quando calor corporis supra "gradum naturalem fixus manet, et quando "perspiratio neque generalis neque profusa "est *."

Cùm morbus provectior sit, et calor non ita valde auctus, affusio potius tepida bene convenit; calorem temperat, et sudorem sæpe elicit; vires quoque mirum in modum reficit et recreat, necnon omnia symptomata lenit.

Remedia quæ secundum medendi consilium postulat, nunc recensenda sunt.

Cathartica—per totum morbi cursum alvus,

---

* CURRIE's Medical Reports.

quoties opus, leniter solvenda est laxantibus mitibus, aut devoratis in stomachum, aut in alvum ex parte inferiore injectis; enim nihil fere tantum ad febrem alendam et aggravandam valet, quantum alvi duritia atque sordes. Itaque, alvus leniter laxanda est enematibus, aut mitissimis catharticis, cujus generis sunt, fructus maturi, super-tartris potassæ, phosphas sodæ, tartris sodæ et potassæ, sulphas sodæ, oleum ricini, infusum tamarindi cum senna, hisque consimilia. Siquando illis rebus non laxetur alvus, jalapa sub-muriate hydrargyri conjuncta, non solummodo sine periculo, sed sæpe maximo cum fructu, in auxilium vocetur.

Opium—typho laborantibus utilissimum persæpe remedium est; quippe ante omnia fere medicamenta pollet, ad dolorem mitigandum, delirium sanandum, et quietem somnumque conciliandum; necnon ad sudorem movendum, atque nauseam et solutam alvum sistendam, multum valet. Arteriarum ictus, antea celeres, debiles atque parvos, reddit tardiores et validiores: cor et arterias, simili fere modo ac vinum, afficere videtur.

Sudatio.—Quoniam typhus aliquando discutitur modico et leni sudore, igitur, si corpus sudare inclinatum videatur, leniter mitibus diluentibus præcipue promoveatur. Semper enim nocivum est, invitâ naturâ, medicamentis calefacientibus aut stimulantibus sudorem ciere, ut, olim cum medici, tum alii, consueverunt.

Sanguinis Missio,—nostris temporibus, fere ex toto, exploditur, et certe haud immerito. Nunquam periclitanda est, nisi cum indubiis signis se ad inflammationem proclive ostendat corpus. Quia, viribus sic amissis, non leve est periculum ne febricitans debilitati succumbat, quæ sub finem semper supervenit: quamvis ergo inflammatio urgeat, sanguis, nisi parce et caute, detrahi non debet.

Diæta.—Dum enumeramus remedia, quæ secundo consilio præscribuntur, diæta interim tenuis, atque regimen antiphlogisticum, haud omittenda sunt. Optime plerumque conveniunt, panada, ptisana, pulmentum; omnes fructus maturi, ut aurantia, poma tosta, &c. quæ

ægrotantibus admodum grata sunt, et ad corpus refrigerandum multum valent. Quod potum attinet, tenuis esse debet: sicut, aqua pura et gelida, vel in quam fervidam thea macerata est, vel quæ super panem tostum infusa est, vel cui paululum succi citrei aut vini mistum est. Lac, ejusve serum, vini sera, cerevisia tenuis, hisque consimilia, omnia bona sunt contra calorem et sitim. Stimulantia omnia sedulo evitanda sunt; qualia, lux, strepitus, meditatio nimia, et colloquia quæ animi attentionem requirunt. Cavendum est, ut ægroti quieti et tranquilli sint; neque ulla exercitatione utantur, ad quam musculorum motus requirantur.

Cùm caput doleat, et ægrotans comatosus sit, epispastica, non sine levamine, capiti raso applicantur; vel fortasse melius est, caput ad cutem tonsum aquâ cum aceto mistâ subinde lavare.

Medicamenta, quæ vulgò tonica, stimulantia, atque antiseptica, vocantur, proclivitatem

ad debilitatem et putredinem præcipue prævertunt.

Vinum—omnium medicamentorum excitantium longè efficacissimum est; et, apud omnia cardiaca adhuc nota, præcipuum est. Stimulantem et roborantem admodum vim habet. Ventriculo plerumque gratissimum est, cordis et arteriarum actionem auget, dolorem et delirium aut mitigat aut ex toto tollit, animum demissum exhilarat, et humorum putredini obstat. Non parcâ, sed largiore manu administrandum est. Siquando ægroti non habent vinum, neque unde sibi parent, ejus vice substituenda est cerevisia meracior, vel cerevisia fortis Londinensis, quæ *Porter* vocatur, vel liquores distillati, aquâ diluti et saccharo commisti. Hæc autem haudquaquam æque ac vina pollent.

Cortex Cinchonæ—inter efficacissima roborantium remediorum, juste atque merito existimatur. Assumatur tanta copia quantam tolerare potest stomachus; nam fere nunquam ad spem respondet, nisi ipse in pulverem tenuissimum redactus, manu haud parcâ adhibeatur. Si,

quod aliquando evenit, pulvis corticis sit ventriculo alienus, oportet aliud ex eo præparatum experiri, et addere vix opus est, cinchonæ cortici, modo alvum citet, adjiciendum esse opium.

Inter remedia quæ debilitati et putredini occurrunt, munditia summa et aër purus haudquaquam negligantur. Munditia in putredine arcenda aut corrigenda fere incredibiliter prodest; neque minus certum est, immunditiam plurimum nocere. Igitur, in hoc morbo, ad munditiam omni curâ attendendum est, et non modo ad corpora et vestes ægrotantium respiciendum, sed etiam ad eorum lectos cubiculaque, omnia excrementa submoveantur quamprimum, sæpe etiam mutanda sunt indusia et stragula. Aër in cubiculo frequentissime renovandus est; nam nihil putredine magis favet quàm aër impurus, calidus, morbosis effluviis corruptus, et stagnans. Quapropter, non solùm omnem calorem præter solitum evitare oportet, sed in ægri cubiculum aëra frigidum et salubrem, per fores et fenestras apertas, intromittere. Perutile itidem est, febricitantium cubicula fumigare vaporibus acidis, præcipue ex acidis muriatico, ni-

trico, et acetico ; et sic cavetur, ne contagione vulgetur morbus. Potus quoque frigidus sitim restinguit, corpus refrigerat, sæpe sudorem lenem movet, putredini obstat, et ventriculum roborat.

Maturi fructus, et acida vegetabilia et mineralia, adversus putredinem sæpe usurpantur, et haud raro felicissimo effectu.

Si symptomata subsultûs tendinum adsunt, quod tam facile in convulsiones generales desinit, opium, moschus, camphora, æther sulphuricus, valeriana, et alia antispasmodica, sæpe adhibeantur non sine fructu.

Siquando, per morbi decursum, urgeat vomitus, ægrotus debet, exiguis interjectis intervallis, assumere citratem potassæ, dum, partibus constituentibus primum coëuntibus, etiamnum effervescit, quo plerumque pacetur.

Denique, cùm ægrotus convalescere inceperit, maxima cura utenda est, ne morbus iterum redeat, propter infirmitatem jam inductam. Ita-

que vinum, cinchona, ex ferro præparataque, non intermittenda sunt, priusquam æger satis revalescit. Oportet diætam primum levem esse, at satis nutrientem, atque concoctu facilem. Omnis intemperantia sedulo evitanda est. Ut convalescens brevi confirmetur, monendus est ut modica exercitatione utatur, qualis haud multum fatiget.

FINIS.